



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Diatribai De Primis Veteris Frisiae Apostolis, Sive  
Dissertationes, quibus eoru[m] anni, actus, res,  
personae, loca, tempora in eorundem actis occurrentia,  
discutiuntur, illustrantur, erroresque ab ...**

**Bosschaerts, Willibrord**

**Mechliniae, 1650**

148. De obitu S. Willibrordi & quae circa eum contigerunt.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10958**

De obitu S. Willibrordi & quæ circa eum  
contigerunt.

Atenus itaque attentè nec in va-  
num auditum & voluntatem con-  
uerterat ad monitum Daudicum:  
Afferte Domino filij Dei, afferte Do-  
mino filios arietum, id est, O Vos  
spirituales viri qui Deum præsen-  
tiùs & insigniùs refertis, amplioris  
diuinitatis portione, beneficijs at-  
que virtute donati à Deo, adducite

ad Deum in Ecclesia eius sancta filios arietum, homines  
qui vestra doctrina filij & imitatores fiant Prophetarum  
& Apostolorum gregis Dominici Ducum insignium &  
fortium. Adferre Domino gloriam & honorem voce &  
vita vestra ipsum honorantes, adferre Domino gloriam  
nomini eius debitam, suppliciter veneremini Dominum  
in sancta fidelium congregatione, extra quam nullus Dei  
cultus gratus esse potest. ijs expletis nunc suauiter inui-  
tatur ad sequentia: Adorate Dominum in aula sancta  
eius, id est, Adorate eum in aula eius regia cælesti, in qua  
residet Dominus omnium. Post decursos huius vitæ tem-  
porariæ stadio laborum & agonum palestra 80. annos, ani-  
ma victoriarum de mundo, carne, diabolo, plena bono-  
rum operum & meritorum manipulis onusta, ad remune-  
ratorem suum in cæleste palatium Deum in æternum visu-  
ra & adoratura abit.

Vbinam locorum corpus exuerit, non idem ab omni-  
bus scribitur. Alij Ultraiecti: Alij vt Nicolaus Harpsfel-

Cccc

dius



dius histor. Anglicanę saculo octauo cap. 4. & Miræus in Annalibus Belgicis, Epternaci : alius in vico quodam Diocesis Ultraiectinæ id contigisse. Ego omnino credo Ultraiecti in sede sua Episcopali, Episcopum inter Canonicos & fratres, Pastorem inter oues animam posuisse. Insinuatur per verba Bonifacij superius citata ad Stephanum Papam : *Et sedem Episcopalem & Ecclesiam in honore Saluatoris constituens ( Willibrordum ) in loco & Castello quod dicitur Traiectum, & in illa sede & Ecclesia Saluatoris, quam construxit, predicans vsque ad debilem senectutem permansit, & sibi Coepiscopum ad ministerium implendum substituit, & finitis longeva vite diebus, in pace migravit ad Dominum.* His significatur S. Willibrordum in sede Episcopali, in Ecclesia Saluatoris Ultraiectina vsque ad debilem senectutem permansisse, ac in eadem dies suos finiuisse. Et hoc ipsum inde colligit Ioannes Roberti in notis ad caput 6. l. Florum Epitaphij Sanctorum cap. 6. lib. 1. conscripto à Thiofrido Abbate Epternacensi. Idem plane sensus est Ioannis Becani in Willibrordo, aientis : *anno Domini 737. Clemens falicem Creatori reddidit animam, cuius sacrum corpus ad Epternacense translatum est canobium Ordinis B. Benedicti, quod ipse pridem de patrimonijs Discipulorum suorum sumptuosis adornauit adificijs &c.* Dum afferit esse translatum corpus ad Epternacense Monasterium, manifeste signat, eum non esse mortuum Epternaci, simul insinuans animam reddidisse in loco suæ Episcopalis residentię.

Terris valedicens suæ adeptę glorię insignem reliquit indicinam, quam hoc modo enarrat Theofridus loco mox citato : *Insignemiraculum, quod profecto sub gratia longe prestantius est estimandum, quam quod sub lege, tam irato, quam placato Domino, nubes apparuit super fœderis tabernaculum, videlicet, quod post lucidissimi totius mundi solis Willibrordi primi*  
*Sancti*



*Sancti Traiectensis Ecclesia Archipresulis carnis occasum, ingens globus quasi fumi aromatum in modum densissima nubes totum sepissime repleuit & cooperuit vestibulum ubi lucis vita huius passus deliquium, transiit in caelum & claritatem caelestium luminum.*

Sed cur globus quasi fumi in modum nubes? per fumum, aut quasi, intelligo nebulam, quomodo Apocalypsis 15. Et impletum est templum fumo. Isaia 6. Domus impleta est fumo, quæ nebula condensata erat instar in-crasatæ nubes. Consuevit Deus in veteri testamento fumo, nebula, nube, Maiestatem gloriamque suam ostendere, in ijs se præsentem exhibere, mandare, loqui. Numerorum 16. Operuit illud (Tabernaculum) nubes & apparuit gloria Domini. Ibidem 14. Apparuit gloria Domini super tectum foederis, puta nubes lucida significans Dei præsentiam & Maiestatem iuxta Septuaginta & Iosephum. In nouo Testamento ad ostendendam gloriam Sanctorum idem præstat, vt in Transfiguratione nubes lucida obumbrabat Discipulos: Quinimo simul manifestans Maiestatem suam, quasi declarantem & quoddammodo loquentem Sanctos iam cælo receptos, se mercedem illorum esse, secum regnare, se eos honorare velle. Sic in loco occubitus S. Lamberti illustri signo Martyris felicitatem, meritum & honorem prolocutus est Deus: *In conclauis (ait Roberti in vita S. Lamberti cap. 26.) in quo obruncatus S. Lambertus, lumina saepe diuinitus accensa conspiciantur, ea claritate vt gratiores viderentur ire dies, & soles melius nitere, neque facile humani oculi acies irretita eam ferret. An aberrabit, qui dixerit radium aliquem fuisse eius lucis, qua S. Pontifex perenniter circumfunditur? Quid igitur si hoc lumen etiam à cæcis aspiciatur? sane duo cæci Baldigisulus, & Raginfridus, ille excubare quo Martyr occubuerat loco: His eundem*



locum expurgare iussus, optata protinus luce potiti sunt. Ita ille.

Sed cur fumus aromatum? per aromata designantur in scripturis virtutes Sanctorum, quarum bono odore confortantur, reficiuntur, & recreantur mortales. Christi bonus odor fumus. 2. Corinth. 2. Quo alludens S. Hieronymus: Eam, inquit, debere esse conuersationem Pontificis, Pastoris & Doctoris, vt omnes motus & gressus atque vniuersa eius opera caelestem redoleant gratiam. D. Bernardus serm. 71. in Cantica ad illud, Ego flos campi & lilium conuallium: *Habent, inquit, mores colores suos, habent & odores: odorem infama, colorem in conscientia. Color operi tuo dat eius Bonitas & cordis intentio: odorem modestia & virtutum exemplum. Iustus est lilium in se candidum, sed proximo odoratum; proximo enim famam, nobis debemus & prouidemus conscientiam.* Hoc ipsum praestitit inter homines S. Willibrordus, hoc ipsum illum praestitisse, hic declarat diuina Majestas.

Designantur etiam per aromata orationes Sanctorum, quae efficacia sua penetrant vsque ad thronum Dei, iuxta illud Apocalipsis 8. Ascendit Fumus aromatum de manu Angeli in conspectu Domini. Recte igitur per globum quasi fumi aromatum datur indicium diuinae Majestatis Sanctissimam animam accipientis & coronantis, fragrantissimo meritorum ex virtutibus & orationibus prognatorum cumulo grauidam. An non fas cogitare Caelestes Spiritus beata anima adueniente ingeminasse, Quae est ista quae ascendit sicut virgula fumi ex aromatibus Mirrhæ & thuris?

Vtinam residuum nobis esset vestibulum, aut conclaue tot feruidarum orationum, tot ignitarum meditationum confectum, in quo purissima illa anima sacrificium vespertinum se Deo obtulit; quam illud exoscularentur,  
quam



quã in eo venerabundi pedes figerent fideles. Non dubito quin primæui Traiectensis Ecclesiæ filij summo in pretio habuerint. Postulat hoc auita pietas. De Leodiensibus, quibuscum in fide iam consentiebant Traiectenses, legitur, Locum, in quo S. Lambertus gratissima Deo hostia recenter ceciderat, ab vndis concurrentium populorum infatigabili studio visitatum cultumque. Crescente deinceps Religione, vt ait Roberti supra, sacram Aedem inibi moliti sunt, splendidam illam quidem & amplam, sed quę concurrentibus capiendis nequaquam sufficeret. Tanta multitudo erat. Porro in eam Aedem tum alia intulerunt S. Martyris monumenta, tum eius lectulum, quo potuerunt ornatu, honestatum. Quibus rebus efficiebatur, vt tanquam præsentem ibi eum colerent, quotquot pietatis causa illam ædem & cætera monumenta frequentarent, prodigijs & miraculis in dies augmentum capientibus. Minorem ne cogites Primorum Ultraiectensium deuotionem. Verùm subsecutæ Nortmannorum grassationes & illud & plura sacratissima posteritati inuiderunt.

Cccc 3

DISSER-